

NORTGOIA,

vel

BAVARIÆ PALATINATVS.

BAVARIÆ altera pars, quæ ultra Danubium Bohemicam excurrit syluam, vocatur nostro æuo (sicut & olim) Nortgoia, habens Nurnbergam Metropolim; vnde Regioni, secundum quosdam, datum nomen. Et licet Nurenberga non sit peruetusta Ciuitas, tamen Castrum eius in ædito colle situm, quod olim Castrum Noricum fuit appellatum, est antiquum. Habet hæc Regio plurima Oppida, Monasteria, & Villas, potiss. Amberg; Sultzpach; (Castel Monasterium; vbi olim Principes Nortgoiæ suam habuerunt Curiam.) Eger; Beierut; Eistet; Napurg, &c. Quæ pro maiori parte sunt Principum Palatinorum. Siquidem Ludouicus Imp. & Dux Bauariæ fecit Anno Christi. 1339. huiusmodi diuisionem, quod ex tota Bauariæ Prouincia Palatinis Principibus cederet Nortgoiæ Regio, præter Oppida quædam Imperialia: multa etiam pertinentia ad Coronam Imperij, olim fuerunt Principibus Bauariæ impignorata. In hac Regione inter Bambergam & Nurnbergam, ad Orientem, versus Oppidum Eger, situs est mons magnus dictus Fichtelberg, ex quo profluunt quatuor insignes amnes, Mœnus, Nabus, Sala, & Eger. Complectitur autem mons iste in circuitu suo circiter sex miliaria; & extrudit varias metalli species; gignit & optimum caruleum colorem, quem vulgò Lazurum vocant. Inuenitur quoque in summitate montis stannum; & multæ foueæ, ex quibus olim metalla fuerunt eruta: in summa, tota illa Regio turget mineris, potiss. ferri, vnde Nortgoienses annuatim magnam vim pecuniæ colligunt. Hactenus Seb. Munsterus. Vide etiam Pium. II. De origine Palatinatus huius Regionis, lege Franc. Irenicum. Huius Regionis Urbem primariam Nurnbergam, elegantissimè descripsit Conradus Celtes Poëta. Montem Piniferum, quem Fichtelberg vocant, descripsit Gaspar Bruschius Egranus peculiari libello.

WIRTENBERGEN

S I S D V C A T V S.

Regio Wirtenbergensis Ducatus circularem habet quasi situm; complectiturque Ciuitates & Oppida plurima; multa Castra, & Monasteria; Villas, & Vicos penè infinitos; præter tres Ciuitates Imperiales, Eslingam, Wilam, & Reutlingam, quæ intra ditionem Principis suum habent situm, & proprias Iurisdictiones. Præstantiores autem huius Ducatus Ciuitates sunt, Tubinga, vbi Academia; & Stutgardia, vbi Principis sedes. Hæc præfatus Munsterus, & plura. Huius Regionis primarium fluum Neccarum, & ceteros, pulchrè describit Fr. Irenicus lib. 8. Cap. 34. Neccarus fluius, generosi vini, quod inde Neccarense vocant, fertilis est.

PALATINATVS BAVARIAE DESCRIPTIO
ERHARDO REYCH TIROLENSE AVCTORE.



WIRTENBERGENSIS DVCATVS VE
RA DESCRIPTIO, TVBINGAE EDITA. 1558.



THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARY

